

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0527

0525

0531

0521

0536

0516

0576

0476

0626

0426

1026

0026

Ende

Anfang

512

odoriferum, circa quod illos detentos illudit et evadens ad tutiora fugit. Ex onagro et equa natus fit mulus velox, sed velocior ex onagro et asina et sunt muli pretiosissimi, in quibus principes et magnates vehuntur. Igitur circa solis occasum in torrentem aridum et desertum venimus, quem nominabant Arabes Elphat, in quo oneribus abjectis tentoria fiximus et pernoctavimus. Porro tanta erat ibi vastitas et ariditas, quod desperavimus, nos posse reperire materiam pro igne, tamen invenimus tantum, quod aquam offae calefecimus.

Vicesima nona die, quae est festum Michaelis, ante lucem surreximus et per torrentes desertos, per quos ingressi fueramus, exivimus ei taediosam et laboriosam diem habuimus, quia per rigidissima loca, non quidem arenosa, quod tolerabile fuisset, sed pulverosa, imo cinerosa tota die proficiscentes grande iter fecimus per pulveres et cineres. Mirabamur non parum, unde pulverum et cinerum tam immensa copia per totam dispersa regionem, ubi non sunt habitationes hominum, nec ignis, nec materia combustibilis? Ad hoc catholicum accepimus responsum tale: Ex quo Dominus omnium terrarum maledictiones induxit super hunc petracum desertum, etiam hanc ei immisit maledictionem, ut de coelo nec pluviam aquae, nec nivis, nec roris haberet, sed pluviam pulveris et cineris, quam nimirum maledictionem terrae sanctae minatus est similiter venturam, si ejus habitatores mandatis ejus contrairent. Unde dicit Deuter. 28.: Det Dominus imbre terrae tuae pulverem de coelo, descendat super te cinis, donec conteraris. Sic fecit Dominus terrae Aegypti, quando Moyses et Aaron ad jussum ejus acceptis cineribus de camino in aerem sparserunt, unde tota superficies terrae Aegypti fuit cooperata cinere et pulvere, eratque cinis tam in jumentis quam in hominibus, eos corrodens usque ad ulcerationem, ut habetur Exodi IX. Suspicati ergo sumus, hanc deserti partem etiam ibi percussam plaga, et timuimus, ne forte et nos ulcera contraheremus, sicut Aegyptii; sed custodivit nos Dominus integros in regione cinerosa.

Porro in vallem quandam venimus, in qua reperimus idolum in forma pueri Aethiopis in caverna petrae stantem, cui Arabes interdum pro tempore oblationes offerunt; vidissent

